

De ironia Ciceronis

Ex omnibus orationibus Ciceronis quibus delectata sum illa quam Cicero “pro Murena” habuit mihi optime confecta videtur esse: ludibrium atque ironia illius orationis me summopere delectant. Primam eius partem cum hebdomada praeterita conventui mathematicorum cuidam interessem vespere in caupona legi.

Lucius Murena a Catone et Sulpicio largitionis accusatur ad munus consulatus adipiscendum. Illa accusatio Ciceroni satis tenuis videtur esse, cum Sulpicius eodem tempore frustra consulatum ambiverit. In defensione Murenae Cicero comparationem inter virtutes et res gestas utriusque viri facit, qua Sulpicium iure Murenae succubuisse monstrat.

Sulpicius Murenam contemnit quod nobili genere natus non sit? Cicero Sulpicium laudibus accumulat: “*Summam video esse in te, Sulpici, dignitatem generis, integritatis, industriae [...], quibus fretum ad consulatus petitionem adgredi par est.*” Sed hoc quid iuvat si a populo ignoretur? “*Tua vero nobilitas tametsi summa est, tamen hominibus litteratis et historicis est notior, populo vero et suffragatoribus obscurior.*”

Murena diu a fuit et “*forum non attigit*”, sed post redditum “*cum iis qui in foro habitaverunt de dignitate contendit*”? Scilicet aberat: dum Sulpicius Romae se studio iuris civilis dabat, “*multorum stultitiam perpetiens, adrogantium perforens, difficultatem exsorbens*”, Murena legatus erat Luculli in bello contra Mithridatem. Et uter eorum alium utri dignitate praestat? “*Vigilas tu de nocte ut tuis consultoribus respondeas, ille ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat; te gallorum, illum bucinarum cantus exsuscitat; tu actionem instituis, ille aciem instruit; tu caves ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur; ille tenet ut scit ut hostium copiae, tu ut aquae pluviae arceantur [...]*”

Et illa disciplina iuris, quid valet? “*Quod quidem ius civile didicisti, non dicam operam perdidisti*” – itane? – “*sed illud dicam, nullam esse in ista disciplina munitam ad consulatum viam.*” Ciceronem illa verba eadem voce recitavisse mente fingo misericordia plena quā illa verba celeberrima in prima oratione in Catilinam: “*Muta istam mentem, Catilina, mihi crede!*”

Mordens Cicero Sulpicium deridet, qui illam provinciam iuris tanti aestimat: “*Et quoniam mihi videris istam scientiam tamquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari ut istud nescio quid tanto opere didicisti praeclarum aliquid esse arbitrere.*”

Me cachinnum sustulisse cum hanc sententiam legerim confiteor. Curiositate captus, devensor quidam me rogavit qui liber tantam hilaritatem commoveret. Erubescens ei librum monstravi, quem incredule aspexit: se eum aliud genus libri suspicatum esse patuit!